



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAЕ HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 19. Turcarum incursiones diuinitus arcentur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](#)

*Turcarum incursiones ab Aede Lauretana diuinitus  
arcentur. Cap. XIX.*

**P**er idem tempus B. Virgo, quam sibi Lauretana Do-  
mus cordi esset, haud dubijs argumentis ostendit.  
Selimus Turcarum Imper. Mahometis nepos, intactis æuo  
Lauretanæ cellæ thesauris imminens, nihilo feliciore exi-  
tu tantum facinus tentauit, quam Mahometes eius auus  
tanto ante tentauerat. Iam Selimus suis, maiorumque  
suorum victorijs erectus, omnia pene maria classibus ha-  
bebat infesta, totam subinde Europam, vltimique occi-  
dentis oras imperio suo destinans. Igitur illo authore, in-  
gens piratarum manus in Italiā appulit: & Dalmatarū,  
Appulorumque littoribus depopulatis, Lauretanæ prædæ  
spe inuitante, in Picenum vela fecerunt. Descensione inde  
facta, Castro Portus Recinetensis potiuntur: tecta cædi-  
bus & incendio fœdant. Iam nemine contra arma feren-  
te, Lauretum inflammatis studiis contendebant; cum de-  
sertam à mortalibus propugnatoribus ædem à cœlestibus  
defendi, propugnarique senserunt. Quippe ipse met Lau-  
retanæ Aedis conspectus tantum eis terrorem incusit; vt  
è vestigio trepidi re infecta, repeterent classem, haud du-  
bii, quin dilecta illa cœlo domus cœlesti præsidio tegere-  
tur. Selimus porro conandi sceleris author paulo post  
haud dubia diuini numinis ira periit cancro, fœdissimo  
iuxta, atrocissimoque morbo misere absumptus. Necta-  
men exitialis Selimi exitus aliorum compressit audaciam.  
Cognitum est deinde ex Turcarum captiuis, qui fuga elap-  
si, Lauretum ad vota B. Virginī reddenda venerunt, Ar-  
chipiratas, in quorum ipsi fuerant potestate, sæpius Lau-  
retani templi prædandi, spoliandique studio Lauretum  
instructa classe petiisse. Cæterum vt in sacrosanctæ con-  
spectum Aedis ventum esset, repente pauore ingenti di-  
uinitus

*Ann. Eaux.  
Rier.*

uinitus iniecto, regredi coactos, latens vtique numen ini-  
bi esse confitentes. Ita audacia in venerationem vertit.  
Nam cum hæc fama inter barbaros increbuisse, ex eo tē-  
pore piratici myoparones oram Piceni legentes in con-  
spectu Aedis Lauretanæ vix ausi sunt quicquam hostile  
conari, ne dum ad Aedem ipsam diripiendam accedere.  
Semel dumtaxat biremes Turcicæ duæ ex agro Laureta-  
no prædas agere ausæ: quæ mox Deiparam Virginem ex-  
pertæ sunt vindicem rerum suarum. Eodem ipso die à Ca-  
naletto Venetæ classis Duce captæ: prædatores suspensi:  
præda omnis recepta. Lauretana res barbarorum clade  
fancita.

*Christiani exercitus auaritiam eludit.*

*Cap. X X.*

*Am. Laur.  
Riere.*

**N**ec à Barbarorum vi magis, quam ab auaritia Chri-  
stianorum militum Lauretana Domus per idem tē-  
pus cælesti vtique præsidio intacta mansit. Franciscus  
Maria Vrbini Dux ditione à Leone Decimo exutus fue-  
rat. Qua deinde armis recepta, vltro ipse Picenum agrum  
infesta populatione percurrit, Pontificis, vt ipse dictita-  
bat, iniuriam vlturus. Exercitum habebat ex multarū  
gentium colluione mistum, quibus nec mos, nec lingua  
communis, & præda potior religione erat. Proinde ne-  
que Ducis imperio satis regi poterat, neque vlla ratione  
à rapina prohiberi. Et Præfectorum, Centurionumque  
plerique iampridem Lauretanis thesauris inhibabant. Iam-  
que per internuncios de his diripiendis clandestina inter-  
se consilia agitarant. Ergo ex composito ad Montem Fi-  
latranum non procul Laureto sub vesperam subsistunt ea  
mente, vt postero die illucescente, Lauretanam Aedem  
defensore vacuam direptum eant. Haud fefellit pium iux-  
ta prudentemque Ducem impius conatus exercitus sui,  
Itaque